



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

9. Junii. Mos spontaneæ mortificationis palàm extra ordinem susceptæ utiliter prohibentur: tum ut meminerint præstare victimis obedientiam, tum ne se inaniter efferant. S. Ignat. in Hist. Soc. p. 1. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

tempeſtarum. Non bene res agitur, ubi bene ſemper agi videtur.

Proſperitas nimia ſeducit ad vecordiam, tollit metum periculi, facit incautos hoſtium exponit inſidiis, ſui creat fiduciam, & quid hâc felicitate infelicius? latet anguis in herba.

Navicula Petri luçtatur cum fluctibus. Inter adverſitates creſcit Eccleſia, Sanguis Martyrum ſemen eſſe debuit Chriſtiano- rum: ita bona non fiunt, niſi renitentibus malis.

Ut ſine vulnere non gemmant vites, fine vomere non ſperatur meſſis, nec ignis in flammam aſurgit, niſi flabris, & ventis concuſſa, ſic languet ſine adverſario virtus nec eſt meritum, ubi deeſt difficultas.

9. Junii.

Mos ſpontanea mortificationis palam extra ordinem ſuſcepta utiliter prohibetur: tum ut meminerint præſtare victimis obedientiam, tum ne ſe inaniter efferant. S. Ignat. in Hiſt. Soc. p. l. II. n. 6.

SI triumphus concedatur in minoribus, deeſt ſtimulus ad majora; inter ea quæ vincenda veniunt, principatum tenet

voluntas. Capite mali sublato, reliqua facilius vincuntur.

Mortificationes, quæ plus habent strepitus, minus ponderis, speciem habent æstimationis, sed sub iis intacta manent vitia, gaudētque se præteritis in leviora conatus absumi. Radix malorum est castiganda.

Quæ præter ordinem assumuntur, suspecta sunt; maximè si leviori manu peragantur, quæ communia debent esse singulis; tum enim certum habe, sub extraordinariorum pallio vel hypocrisis, vel vitium aliud latitare.

Nulla tutior ad virtutem via, quàm ordinaria. Hanc trivèrè tot Antecessores, monstrat Regula, dictavit Spiritus sanctus; ab hac, qui recedit, accedit ad errores.

10. Junii.

Hisdem contra demonem utendum est armis ad salutem, quibus ille abutitur ad nostram perniciem. S. Ignat. in Hist. Soc. l. 3. n. 48.

T Alio reddendus est orco, ut confusum redire pudeat ad certamen; dolos, quos in nostri ruinam fabricat, ipse sentiat. Si arrogantiam tentet, submissione occurrendum. Si